



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Tricipitium. Gecyones.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

**A** drangulari quodam scapo ita præciso, ut ab humeris ubi in quadrum abire incipit deorsum versus magis ac magis angustetur, per hieroglyphicū hoc sunt qui firmitudinem & stabilitatem eorum denotari dicant, quæ sapienter & maturo consilio gerantur. Quod vero manibus & pedibus careant, vim divinam ostendit, cui nihil horum opus, ut quod facere destinavit efficiat: Deus enim simul & *Innuis, & totum nutu tremefecit Olympum.*

Virgil. *Æn.*  
lib. 10.  
Idem *Æn.*  
lib. 1.

Et alter,

— *Dilto citius tumida æquora placat.*

Illa præterea dilatio, quæ sit à basi sursum versus ascendendo, ostendit humana omnia, quo Divinitati propius accedunt, eo augustiora amplioraque fieri. Unde apud Maronem Dido apotheosin sibi, ob res à se præclare gestas pollicita, dicit:

*Et nunc magna mei sub terras ibi imago.*

Virg. lib. 4.  
*Æneid.*

de quo alibi latius.

**DE TRICIPITIO.  
GERYONES. CAP. XXIII.**



Geryones  
quid.

**P**er Tricipitium vero Geryonem in primis significari passim invenias. Quid autem sibi Geryones velint, & utrum historicum an fabulosum fuerit commentum, ut adhuc in ambiguo sit, scriptorum varietas efficit: vulgatio tamen est ea opinio, tres in Hispania fratres unanimi concordia imperium obtinuisse, quos Hercules oppræsserit. Græci, ut ingenio sunt ad comminiscendum nova promptissimo, alia atque alia super Geryone tradiderunt: sed inter eos Hecæteus Geryonem affirmat loca circa Ambraciam & Amphilochos tenuisse, indeq; abactas boves, quæ specie mira reperiantur in ea regione valde herbida, & pascuis latissima. Alii in Euxino ponto urbem *τρεκαρλίαν* memorant, cujus principem Geryonem Hercules sustulerit, cumque boves speciosissimas ejus abigeret, interroganti cujus illæ fuissent, responsum, Geryonæ Tricareni, quod Tricipitis sonat; inde datum locum fabulæ.

Nempe præ  
nici coloris  
Tricipitem

**HISPANIA. CAP. XXIV.**

**S**ane ut Hispania, quæ tripartito divisa est, per hieroglyphicum Geryonis intelligatur, tum auctoritate plerique, tum Imp. Hadriani tertium Consulis numus ostendit: in quo simulacrum triceps hastæ innixum, quod dubio procul factum, ob Hispaniam peragratam, sive ut originationem suam ostenderet, quod Gaditana esset matre genitus, ut apud Spartianum est.

Imp. Hadr.  
numus.

**LUNA MENSISVE. CAP. XXV.**

**I**nterpretes Hesiōdi *τρεκίφαλον γερουνηα*, Lunam significari contendunt: alii tempus præsens, præteritum & futurum: alii triplicem mensis divisionem, quæ ternis apud Græcos denariis dispersitur, apud Latinos in Nonas, Idus, & Calendas dividitur. Græcorum nuncupationes sunt, *ισαμηνε*, *παι δέκα φθίνοντες*, quarum nuncupationum ultima, dierum numeri Romano more retrocedunt.

Tricipitem  
Geryonem

**AUXILIARES. CAP. XXVI.**

**N**equè me præterit Plutarchum, in libro de civilibus institutionibus ad Trajanum, asserere Geryonem multis oculis, multis manibus & pedibus præditum ea de causa vulgo dicitur, quod in negotiis obeundis consilio uno, multorum opera uti consueverit, quod in principe vel alio quopiam cui Reipubl. summa credita sit, commendabile plurimum habetur. Non enim omnia possumus omnes. Idcircoque Pelopidas laudatur, qui legationem initurus, cum se ad dicendum parum idoneum intelligeret, ad jutorem sibi sociumque muneris Epaminondam cooptavit. Sic Nicias cum ad labores tolerandos imbecillo admodum corpore & inexperto esset, Lamachum sibi & robustum & industrium socium accepit. Quod vero ait Plutarchus Geryonem pluribus oculis, manibusq; præditum, eundem-

Quare mul-  
tis manibus  
& pedibus  
præditus  
Geryon.  
Virgil. in  
Pharma-  
ceutria.